

cit *Celeberr. Conring: de Civili prudent. cap. ult. Boxhornium Excel-*
lentiss: Noster Franckenst: in præfat: Institut. Polit. Uterq; rectè; sic-
ut & alii numero non pauci apud alios citra injuriam nominantur,
& de facili agnoscuntur.

Sensus distin-
ctionis Monar-
chomachicus.

III. Dividuntur aliàs, ut & à *Grotio lib. 1. cap. 3. §. 8. & 9. Mo-*
narchomachi in duas Classes. *Prima* (in qua *Stephanus Junius Bru-*
tus, Buchananus, & alii sunt,) totam populo concedit Majestatem, ita,
ut malè imperanti, illæsa plane conscientiâ, non tantum non obe-
dientiam denegare, sed etiam eum & vita & regno privare possit.
Producunt hi illud effatum *Trajani*, qui gladium porrigens *Præfecto*
Prætorio in hæcce verba erupit: *Accipe hunc ensẽ, & si benè impera-*
vero, pro me, sin minus, contra me eò utitor. Quasi verò tam strami-
neum argumentum rem tanti momenti probare possit? *Secunda*
Classis mutuam quãdam subjectionem Regis & populi fingit, prout
jam ille, jam hic peccat & coërcendus est. Sed de hac plura adducere
jam nostrarum partium non est, cum potissimum de priori noster in-
stituatur sermo.

IV. Illi nimirum, quos in primâ Classe reposuimus, potissi-
mum sunt parentes divisionis Majestatis in Realem & Personalem.
Personalem (verius Personatam) concedunt Magistratui Monarchi-
co: Realem attribuunt populo. Verum verbo attribuunt, & re a-
dimunt Publicolæ illi suo Monarchæ omnem reverà Majestatem,
quippe quæ superiorem non patitur.

V. Occasio aut saltem *αἰτία* hujus erroris, inter alia, for-
tè fuit ipsa Majestatis Definitio Aristotelica. Ea verò sic se habet:
Majestas est summa Civitatis ubiq; potestas. Ex quâ Definitione patet,
Subjectum Majestatis esse Civitatem. Quod cum Monarchomachi
animo reputassent, & simul animadvertissent, Subjectum majestatis
aliàs dici Magistratum Politicum, duplicem constituerunt Majesta-
tem, unam Populo, alteram Magistratui competentem.

VI. Sed confuderunt distinctissima, scil. Populum & Civita-
tem. Populus enim est pars Civitatis; Civitas autem est totum, cu-
jus partes sunt Magistratus & subditus populus. Sanus igitur sen-
sus Definitionis est hic: Subjectum Majestatis est Civitas non quidem
proprium, interim tamen commune. Proprium enim est imperans,
vel imperantes. Commune verò est Civitas. Illud est Subjectum
inhæ-